APPARATUS

AD

HISTORIAM

SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

Phil. et Theol. D:r.

Præfectus Bibliothecæ Lund., Ordini Theologorum Adj.,

ET

JOH. BERNH. v. BORCK,

Blek.

Die 16 Dec. 1840.

P. XXXVII.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur.

II.

Historiam naturalem scire vel maxime hominis eruditi interesse, dico.

tizare, si alii non adsint, et quod propter hoc non separatur matrimonium.

Punctus XXVIII.

Item quod si timetur de morte infantis nascentis, et apparet caput, baptizetur per effusionem aquæ super caput cum expressione verborum institutorum ad baptismum christianum.

Punctus XXIX.

Item quod mulier mortua in partu, christiana gaudeat sepultura.

Punctus XXX.

Item puerum levent de sacro fonte duo masculi, et una fœmina, item fœmellam duæ fœminæ et unus masculus, et non plures, nisi compatres et commatres consanguinei sunt levati vel in sacris constituti.

Punctus XXXI.

Item quod religiosi non levent pueros de sacro fonte.

Punctus XXXII.

Item parentes et patrini filios doceant orationem dominicam, symbolum apostolorum et ave maria.

Punctus XXXII I.

Item fontes sub cooperculo, et chrisma et oleum sacrum et infirmorum sub clave custodiantur, et ampullæ signis distinguantur.

Punctus XXXIV.

Item si oportuerit chrismati vel oleo sancto oleum apponi, caute et diligenter misceatur.

Punctus XXXV.

Item parvuli septennes et majores jejuni per episcopum confirmentur, et fasciolis eorum frontes ligentur, abluanturque tertia die a chris-

matione apud ecclesiam per presbyterum, si commode fieri potest, et ablutio et panniculus, qui fuerat alligatus fronti, comburatur. Chrismati autem seu confirmati, remoti distantes ab ecclesia, possunt per compatres et commatres ablui. Confirmandi, qui sunt XII. annorum, et ultra, profiteantur ante confirmationem.

Punctus XXXVI.

Item quod confirmatus iterum non confirmetur. Item parentes reducant ad memoriam frequenter suis parvulis confirmatis a quo, et ubi fuerint confirmati.

Punctus XXXVII.

Item quod episcopi possunt mutare nomina in confirmatione. Item quod nullus accedat ad minores ordines nisi confirmatus. Item quod moneantur confirmandi intersint primæ orationi, exspectantes ad finem ultimæ, quæ dicitur super confirmatos.

Punctus XXXVIII.

Item demum interseritur ibi tenor capituli *omnis utriusque sexus* de pœnitentia et remissione; et subditur, quod sacerdotes debent docere subditos, quod pro gravioribus peccatis, manifestis et notoriis, puta sacrilegiis, incendiis, perjuriis, veneficiis, sortilegiis, incestibus, raptibus, adulteriis et homicidiis voluntariis, peccatis contra naturam, stupris virginum, et injectionibus manuum in parentes, et oppressionibus parvulorum, et similibus manifestis, quæ scandalizant ecclesiam, publica est et solennis pœnitentia injungenda, quam simplex sacerdos imponere non potest, licet in articulo mortis ab hujusmodi peccatis possit absolvere, ita tamen, quod si infirmus convaluerit, cui esset pœnitentia pro aliquo talium injungenda, episcopum adeat pro susceptione pœnitentiæ, et absolutionis beneficio persequendo.

Punctus XXXIX.

Item presbyter audiens confessionem, non in locis abditis aut extra ecclesiam pro audiendis confessionibus se locet, nisi ex necessitate. In atrio tamen ecclesiæ potest se locare - - - - ut vultum humilem et ocu-

los in terram habeat demissos, ne faciem conspiciat mulierum confitentium. Patienter audiat confitentem: circumstantias peccatorum requirat caute, juxta hunc versum:

Qvis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando?

Punctus XL.

Item moneat subditos ut frequenter confiteantur, et quod peccata apud se rememorent cum dolore et contritione, et quod simplici vultu veniant ad confitendum.

Punctus XLI.

Item ante solis ortum, vel post occasum, nisi in necesssitate, non audiant confessiones.

Punctus XLII.

Item presbyter non audiat mulierem solam in ecclesia confitentem, sed in aspectu honestæ societatis, nec illam audiat in confessione, cum qua peccaverat.

Punctus XLIII.

Item de consvetis peccatis confitentem interroget sigillatim, de inusitatis non interroget sigillatim. Item in dubiis consulat episcopum vel sapientes.

Punctus XLIV.

Item quod moneantur subditi ut ante pascha vel ramos palmarum confiteantur, et qui hoc neglexerint, a carnibus et lacticiniis ad octavas paschæ abstinebunt.

Punctus XLV.

Item caveant sacerdotes indicata sibi nomina, cum quibus peccaverint confitentes, revelare.

Punctus XLVI.

Item prohibentur monachi et regulares vocari ad sacramenta ministranda, sine licentia diœcesani sui, vel præpositi.

Punctus XLVII.

Item prohibentur confessores immiscere scienter verba confabulationis vel impertinentia, dum sedent ad audiendam confessionem. - - - quod reprehendant revelantem peccata signo, nutu vel verbo.

Punctus XLVIII.

Item quod sacerdotes debent confiteri episcopo de mortali peccato, vel deputatis in præposituris ab episcopo ad audiendas confessiones, et officialibus eorum; et ab aliis non possunt absolvi; et confessores deputati nomina non confitentium sacerdotum toto anno intiment episcopis.

Punctus XLIX.

Item injungant furibus, raptoribus, fraude, inventione, injusta exactione, falsa testificatione et usura damnificantibus proximum, restitutionem faciendam læsis vel damnificatis vel eorum hæredibus, et eis deficientibus, conversionem talium in pios usus de consilio sui sacerdotis; et non injungant pænitentias, scilicet missarum vel elemosinarum, nisi prius restituant ablatum; et qui non sunt de solvendo, promittant se restituturos, si facultatem habuerint restituendi, creditoribus vel eorum hæredibus; vel eis non superstitibus, daturos paperibus.

Punctus L.

Item non nomine restitutionis ecclesias, capellas vel cœnobia construant vel alias ecclesiis donent, vel testamenta faciant: unde plena non potest fieri restitutio, nisi cui ablatum sit assignent.

Pnnctus LI.

Item sacerdos audita confessione interroget, si confitens deinceps abstinere velit a quolibet mortali peccato, et si dixerit, se non velle, non absolvat eum, nec injungat ei pœnitentiam, ne inde confidat, sed moneat eum, ut interim agat quicquid boni potest, ut deus illustret eum ad pœnitentiam.

Punctus LII.

Item moneat subditos, ut integre confiteantur pcecata sua, et non dividant, partem uni et partem alteri confitendo.